


05

A

1152





I. N. J.

COLLEGII BIBLICI
ANTI-GROTIANI PRIMI

SUPER
ANNOTATA IN PENTATEUCHUM, ET LI-
BROS HISTORICOS V. T. GROTIANORUM, MAXIME
IN LOCIS FIDEI, ET VATICINIIS PRÆ-

CIPUIS,
ELENCTICA
DISSERTATIO TERTIA
PUBLICA

AD

GENESEOS III. CAPUT.

in Electorali VVittebergenſi
proposita

ab

ABRAHAM CALOVIO, D.

P. P. Paſtore, Conſiſt. Adſeſ. & Elect. Saxon.
Superintend. Generali,

RESPONDENTE

M. JOHANNES SIMONIS, Dresd.

Schol. Witteb. ConR.

in Auditorio Majori,

ad d. 9. Septembr.

Literis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
cl. LVIII.

4

Part.



Faint, mostly illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

CELESTES III CAPIT.



Faint text below the stamp, possibly bleed-through.

Faint text below the stamp, possibly bleed-through.

2511 A 50

Faint text below the handwritten number.

Faint text below the handwritten number.

Faint text below the handwritten number.

Faint text at the bottom of the page, possibly bleed-through.

Fragment of text from the adjacent page on the right, including characters like 'g', 'f', 'e', 'f', 't', 'p', 'd', 'l', 'e', 'n', 'A', 'pi'.



CAPUT III.

Vers. 5.

ERITIS SICUT DII, SCIENTES BONUM ET MALUM.]



Hoc (scientiæ) donum, ait Noster, quantum opus erat, à Deo precibus impetrare debuerunt ad usum imperii sibi divinitus dati, non autem id per se sumere.]

Non carebant dono scientiæ conditi ad imaginem Dei. Absurdum est, Deum ipsis imperium concessisse super omnia animantia, donum ad usum imperii concessi necessarium non impertiisse, infantes (tales enim protoplastos facit) ignaros rerum, & rudes Dominos rerum omnium constituisse. Quod Socinianorum est commentum Aliud promittebat, quanquam falsò, serpens; aliud etiam affectabant protoplasti, scientiam nempe longè sublimiorem, quàm Deo similes evaderent; non contenti primigeniâ illâ & concreata sapientiâ. Col. III. 10. quâ verò cognitione, quâ purè usi non sunt, qui ab initio erant (Protoplasti) imposturâ serpentis nudati etiam sunt, uti loquitur Justinus sub finem Epistol. ad Diognet:

Vers. 6.

CUMQUE COGNOVISSENT, SE ESSE NUDOS.]

Id est, didicissent, quis maris, quis foemine usus?]

Rabbini ante lapsum cecos fuisse homines & vitam brutalem vixisse somniant. Sed infra bruta, quæ hunc usum naturarum norant, eos abjicit Grotius. Cui autem persuadèbit, usum illum Adamum ignorasse, qui tam prolixè de conjugio, ejusq; fine, capite præcedenti, docuerat. Unde omnis, quæ de conjugio habe-

K

tur

DISPUT. III.
RESP. M.
JOHANNES SIMONIS, Dresd.
Sch. Witt.
ConR.

Glosa Sociniana Gen. III, 5.

Glosa Rabbinica, c. III, 5. imò Rabb. coment: de-terior.

*E Socini
Scholâ.*

tur, institutio tanquam è fonte suo scaturit. Non ergò id *didicere per peccatum*, uti cum *Socino* ineptit *Grotius*: *pœna* hic lapsus; nò *beneficium* describitur: *Cognoverunt* autem, quemadmodum verba Spiritus S. habent, *se nudos esse*, quæ per se clara satis sunt, glossâ nullâ indigent. Modo observetur, quod *verba notitiæ* apud *Ebræos affectum inferre* soleant, quandoq; *approbationis*, nonnunquam etiam *displacentiæ*. Hic nudos se nunc cū *displacentiâ & pudore* viderunt, quum antea pudoris, ob sanctam innocentiam, expertes essent. Non autem nuditatis solum externæ animadversio designatur. Oculi aperti simul sunt, per peccati sensum, & conscientiæ stimulum. Viderunt itaq; se nudos, & originali justitiâ spoliatos. *Augustinus* hinc potius audiendus erat è l. XIII. de Civ. Dei c. 13. *Postquam præcepti facta transgressio, confestim gratiâ deserente divinâ de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senserunt novum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocâ pœnam inobedientiæ suæ. Ante lapsum nuditas cùm naturam & morum integritatem, membrorumq; *σωμουργίαν*, & ἀειμονίαν perfectam, tum continentiam & justitiam sanctissimam testabatur. Nihil deforme illis inerat, quod vestibus operirent, neq; ab ullâ aëris injuriâ metuendum fuit. Et cum conscientiam haberent nullâ peccati labe pollutam, nihilq; præter rationis dictamen membra corporis inverecundè agerent, nulla pudoris causa erat. Quid eos puderet, inquit *Beda*, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ? Nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur. Nihil putabatur velandum, quia nihil senserant refrenandum.. Nuditas ergò illa non dedecori, sed ornamento erat. At ubi gloriâ Dei, quæ in corpore & animâ fulserat, se spoliatos vident *Rom. III, 23*. naturam suam peccato depravatam & carnem libidinum stimulis æstuantem sentiunt, conscientia ipsorum miserè torquetur & angitur. Aperiuntur ergò homini oculi mentis, ut videat, quam turpis sit jam ipsa nuditas, & quantum ipse mutatus ab illo.*

Vers. 4.

Vers: 4.

NEQUAQUAM MORTE MORIERIS.]

Quasi dicat, nihil in eo pomo est mortiferum]

Glosa inepta. Si nihil aliud indicasset serpens antiquus, non fefellisset. Nam in pomo certè nihil erat mortiferum. At opponit suum NEQUAQUAM MORTE MORIERIS καὶ διάπερ γοὺς divinæ comminationi, MORTE MORIERIS, hostem & adversarium Dei se ostendens, Quòd enim Deus affirmat, Diabolus mendacii parens palàm negat, Deum, qui veritas ipsa est, mendacissimè arguens mendacii.

Inepta Grot. gloss.

Vers: 5.

ET SEMEN TUUM.]

Omne serpentum genus. Allegoricè impii, Job. IIX. 44. Act. XIII. 10. I. Job. III. 8.]

Res erat non cum serpente tantum, sed imprimis cum eo, qui serpente ceu organo utebatur. Hic verò dum inimicitias Deus ipse ponit, hostemq; serpenti opponit mulierem, ac semini serpentis semen mulieris, non de hostilitate inter genus serpentum, & liberos Evæ, vel humanum genus agitur, cujus gratia sanè tanto cum apparatu, neq; judicium coram tribunali divino celebrari, neq; remedium humano generi promitti aut parari necessum erat. Sed constituitur in acie mulier adversus hostem seductorem, serpentem antiquum, Sathanam, sub angve isto latentem, ejusq; genus universum: neq; hinc demum allegoricus aut mysticus est sensus, sed *nativus & literalis*, primò à Deo intentus. Non opus itaq; gemino dicti ejusdem sensu hinc est: quem assignare Grotius videtur, alterum *literalem* de serpente naturali; alterum *mysticum* vel *allegoricum*, de Diabolo. Ob quam causam idem verbis sequentibus, & tu insidiaberis calcaneo ejus, geminum pariter sensum tradidit. Priorem, qui serpentibus conveniat calcaneo insidiantibus Gen. XLIX. 17. Posteriores, qui Diabolo, ex insidiis agenti. Unius dicti non potest nisi unicus tantum sensus esse, nisi divina oracula ambigua facias, qualia erant

*Semen serpentis num de genere serpentum intelligendum.**An geminus hic sensus?*

K 2

Apolli-

Apollinis, h. e. Dæmonis Deceptoris, quod vel cogitatu impium est. Nihil certi de mente divinâ habebimus, ubi semel admisa fuerit ejusmodi ἀμφιβολογία. De serpente naturali versu præcedenti, jam actum erat, cui triplex maledictio facta. Quâ ergo ratione iterum sensu primario & literali de serpente ageretur, nec nisi secundario & allegorico de Diabolo, proprio seductionis autore, qui serpente tantum ceu organo suo usus fuit? Nec verò serpentes tantum odit homo, atq; enecat, sed alia quoq; noxia & venenata animantia. Neq; ita hominibus naturalis est illa ἀντιπάθεια cum serpentibus, ut non reperiantur quandoq;, quibus benè cum illis conveniat, quod de Tiberio Svetonius, de Troglodytis serpentum carne vescentibus, Plinius l. v. c. 8. de agyrtis & Magis per incantationem demulcentibus serpentes, experientia testatur. Num vero hostilitatem à Deo positam ars ulla tollere poterit?

à Judæis
cum Cavino
seductus
Grotius,

A Cavino hîc seductum dicerem Grotium, qui in Commentar. super Gen: SIMPLICITER, inquit, interpretor, hostile semper fore dissidium humano generi cum serpentibus, quale hodiè cernitur, nisi & Cavino maximoperè infensus esset, & à Judæis potius nuperis illis ac juratis Messîæ hostibus, uterq; seductus videretur, quorum commenta nimium deperit Grotius, ut Papistarum etiam suorum præ illis obliviscatur. Qui unanimi fermè sententiâ literalem sensum hujus loci faciunt, quem allegoricum tantum vult Grotius. Quod in Judæis quoq; antiquioribus observatur: Testis est Paraphrasis Onckelos, ac imprimis Hierosolymitana, quæ hîc clarior: Illa ita habet; Inimicitiam ponam inter te & inter mulierem & inter filium tuum & filium ejus: Ipse observabit tibi, quod fecisti ei ab initio & tu observabis ei in fine. Hæc, interprete Fagio, sic explicuit oraculum: Et erit, quando Filii mulieris operam dabunt legi & fecerint præcepta, tunc studebunt tibi conterere caput & occidente. Cùm verò deseruerint filii mulieris præcepta legis, nec servabunt mandata, tu operam dabis, ut mordeas eos in calcaneis eorum, & ita noceas eis. Veruntamen remedium erit filiis mulieris, tibi verò serpenti nullum erit remedium: quandoquidem futurum est, ut amoveant morsum, qui factus est in calca-

calcaneo, in fine dierum, in diebus sc. Messia. Quæ iisdem penè verbis habentur quoq; in Thargum Jonathan. Testes etiam Interpretationes Judæorum veterum, de quib9 monet Majmonid. in Mor. Nebuch. lib. II. c. 30. oportet te scire, quomodo illud explicent in Midrasch: Videlicet serpentem fuisse equitatum, qui magnitudine ad Camelum accederet: Sessorem autem eum fuisse, qui decepit Evam: Sammaëlem nempe, quam nomenclaturam Sathanae absolutè tribuunt. Testis etiam R. Bechai in h. l. ita scribens: Non sunt nobis inimicitia magis cum serpente, quàm cum cæteris reptilibus. Quamobrem Scriptura hæc mysticè innuit eum, qui in serpente occultabatur. Corpus enim serpentis callidi erat instrumentum, aptum ad recipiendum virtutem conjunctam eum eo. Et ille est is, qui terram peccare fecit, unde mors intravit in omnem progeniem ejus. Et hæc est inimicitia inter serpentem & inter semen mulieris. Et hoc est mysterium lingvæ sanctæ, quod serpens alibi appellatur Saraph juxta nomen, quo Angelus etiam appellatur Saraph.

Serpens itaq; quem hic quidem v. 15. alloquitur Deus, est antiquus ille serpens, Diabolorum antesignanus. Apoc. XII, 9. & supremus inter ipsos, qui aggressus erat protoplastos in serpente. Semen verò ejus intelligendum non generatione, sed imitatione & ἐμολογία seu consensione de reliquâ Diabolorum catervâ, quemadmodum ordines alibi inter Diabolos constituuntur, Beelzebub ἀρχων princeps aliquis inter ipsos Luc. XI. 15. alii ἀρχαὶ καὶ ἐξουσίαι Col. II. 15. καὶ δυνάμεις Rom. IX. 38. vocantur; alii aliis deteriores indignantur Luc. XI. 26. imò discrimen apertum inter Diabolum vel Draconem antiquum serpentem, ejusq; angelos. Matth. XXV. 41. Apoc. XII. 6. constituitur. Judæi Principem Dæmonum seductorem Protoplastorum faciunt, eiq; nomen Sammaël tribuunt, uti è Maimonide in Mor. Nebuch. l. II. c. 30. paulò ante notavimus. Non absimili tropo progenies viperarum, & ex Patre Diabolo esse dicuntur Pharisei, aliiq; impii Matth. XXIII. 33. Job. IIX. 44. ob consensum scilicet atq; imitationem: quia qui perpetrat peccatum, ex Diabolo est. Diabolus enim peccat ab initio 1. Job. III. 8. Plenam ἐξήγησιν hujus πρῶτου αγγελίς nobis exhibuit Dn. D. Waltherus noster in Officinâ Biblicâ: Refutationem autem

An per se-
men serpen-
tis allegoricè
impii hic in-
telligantur?

uberiorem glosfæ Judaicæ B. Dn. Egidius Hunnius; qui eam in
Calvino Judaizante ejusq; hyperaspistâ Davide Pareo profliga-
vit. Non ergò admittendum, quod asferit Grotius; allegoricè
impios hic intelligi, uti Cananei semen serpentis Abarbineli dicti.
Sed ut *mulieris semen ejusdem nature est cum muliere, ita hic*
semen antiqui serpentis ἐμὸς οὐνοῦ indigitatur, *caterva reliqua Dia-*
bolorum. Nam solatium protoplastis subministrandum erat pro
toto humano genere, adversus universam Diabolorum catervam,
nec inimicitia constituendæ aliquorum hominum contra Dia-
bolicam potestatem, sed omnibus hominib; in protoplastis to-
tius generis sui personam sustinentib;, præcipitatis, (*in uno enim*
peccavimus omnes Rom. V. 12.) remedium parandum erat. Non
ergò locum hic habet partitio illa hominum *in pios atq; impios,*
ubi *in personâ matris viventium* omnib; salutis restauratio pro-
mittitur. Quapropter nec per *semen mulieris, qui ad Ecclesiam*
pertinent, nec per semen serpentis impii cum Grotio intelligendi;
quemcunq; eum tandem dicas sensum, sive *mysticum* sive *lite-*
ralem: Sed uti per *mulieris semen unus Christus* designatur; ita per
semen antiqui serpentis universa Diabolorum caterva: cui toti su-
perandæ *unus Christus* opponitur in hoc Dei consilio ac decreto,
qui unus abundè sufficit, nec extra eum quisquam alius hic de-
signari poterat. *In hoc uno salus est, nec datur aliud nomen sub cæ-*
lo, in quo salvari oporteat Act. IV. 12. Humana potestas tanti qui-
dem est, ut opponi possit serpenti ejusq; semini. Quicquid au-
tem adversus antiquum serpentem, ejusq; semen valet huma-
num genus, id unicè in Christo valeamus, in quo solo est fortitu-
do & justitia nostra *Esai. XLV. 25.* Unde *ἡ ἐξουσία αὐτῆς* & conse-
quenter ad nos redundat *fructus* constitutæ illius *hostilitatis,*
quam etiam adversus impios, eorumq; machinationes nostro
cedere bono agnoscimus; sed in eo non est figendus *sensus* hu-
jus oraculi, uti jam dicemus.

Vers: 15.

IPSA CONTERET CAPUT TUUM.]

Quasi de muliere ageretur, sensu non malo. Sed Hebraicus
textus

textus, quem nunc habemus, hic masculinum præfert tum in pronomine, tum in verbo, ut appareat, referri ad semen ורע, quod Hebraeis est generis masculini.]

At Ebraum textum nunc aliter habere, quam habuerit olim, probandum. Quod nemo ne uno indicio antiquitatis he- tuo docere potuit. Cur ergo *vulgatam* defendit, nisi in gratiam *Conciliabuli Tridentini, & Pontificis Romani*? Imò textum Ebraum non נרע seu *ipsa*, sed נרע *ipse* vel *ipsum* habuisse convincitur facilè tum è pronomine affixo, tum è verbo, quod utro- biq; generis Masculini esse, non foeminini in Ebrao, nec aliter unquam ibi lectum esse, agnoscere cogitur Grotius. *Et sic, inquit, hunc locum explicat Ireneus C. III. 38. de semine mulieris. Tempore ergo Irenei Ecclesia non legit in foeminino genere IPSA. Neq; etiam Interpp. LXX. ita legere. LXX. inquit Noster, αὐτὸς posuere ex Hebraeo: quanquam apud Græcos αὐτὸς est neutrius generis. Itaq; sic constructionem fecere, quasi præcessisset non αὐτὸς, sed, quod idem significat, αὐτὸς. Eos sequitur Ireneus v. 78. Et Cyprianus Testimonio XI. libri adversus Judæos, Tales ubiq; multæ sunt constructiones αὐτὸς τὸ σημαίνονμενον. Hæc Grotius. Non ergo ad ἀνεστῆκεν suum se recipere potest, aliter olim habuisse textum Hebraum, aliter nunc habere, nisi refragante verioris conscientia. Quid itaq; restat, quàm ut fateatur, malè & contra textum originalem in Latinâ legi foemininum IPSA. Nec tantùm LXX. ita reddidère, Targum etiam Onkelos in masculino legit נרע, Ipse erit observans tibi; ut & R. Aben Ezra, semen ejus percutiet te in capite. Imò Hieronymus ipse ita legit, & transtulit in masculino IPSE, in quæst. in Genes. ubi produ- ctâ LXX. Interp. translatione, Ipse servabit caput tuum, subjun- git; Melius habet in Ebrao: Ipse conteret caput tuum. Lovanienses observant in Catalogo Variarum lectionum, omnes Hebraos, Chaldaeos, Græcosq; codices pronomen masculinum habere, duosq; MSS Latinos Codices; qualia Latina exemplaria observata etiam Francisco Luca & Roberto Stephani. Nec aliter Leo M. explicavit Serm. II. de Nativ. Dn. Deus hic denunciavit serpenti fu- turum semen mulieris, quod noxii capitis elevationem suâ virtute*

cont-

*An Ebraus
textus aliter
hic habuerit
olim, quàm
nunc?*

conteret, Christum in carne sc. venturum. Quem Pontificem Romanum conciliasse cum Sixto V. & Clemente II. si poterat, debebat Grotius. At quomodo potuit, si seriò Pontificum auctoritatem infallibilem credidit? Nisi fortè quis dicat, hos è cathedrâ pronunciasse avtheticam vulgatam, ideoq; non errasse, Leonem M. extrâ cathedram omninò aberrasse à verâ lectione: etsi Leo M. pro se habeat *Ebraeos, Chaldaeos, Græcos, Latinos* codices, nec *Ireneus*, aut *Cyprianus* aut *Hieronymus* aliter legerint. Maluere tamen antiquiorem *Leonem*, quàm de cathedrâ pronunciantes nuperos Pontifices sequi *Job. Benedictus, Franc. Lucas, Augustinus Steuchus, Johannes Isaacus, Sacrobosco, Franc. Georgius Venetus, Andradius, Felisius* (Elucid. Decal. præc. i. c. 48.) *Hect. Pintus* in c. XII. Es.) *Lindanus* (de optim. gener. interpr. l. III. p. 126.) *Hartus* (colloqu. cum Rainold. c. VI.) *Melchior Canus Canar. Episcopus*, & *Cardinalis Cajetanus*, nec non præcipui è Scholâ Jesuitica *Pererius & Ribera*, qui omnes non ad mulierem, sed ad semen mulieris pronomen referunt. Agnoscit deniq; etiam depravationem hîc in vulgatâ translatione *Ludovicus Capellus* in opere tantoperè laudato *Grotio Crit. Sacr. l. V. c. XI. p. 370.* Facile, inquit, est videre lectionem illam, licet antiquam, *IPSA*, esse depravatam ex librarii inscitiâ, qui cum videret pronomen *IPSE* non convenire genere cum antecedente nomine, putavit legendum esse *IPSA*, illudq; referri ad nomen mulieris; itaq; commutavit pronomen masculinum in fæmininum *IPSA*.

An sensu non malo intelligatur de Mariâ contritio capitis serpentini?

Et quis ille sensus NON MALUS de muliere est? *Papistarum* certè sensus pessimus & idoolatricus. Qui hinc *Mariam* corredemptricem faciunt, quæ caput serpentis calcavit. Idcirco adorant eandem in *Antidotario animæ* fol. 118. *Adoro & benedico sanctissimos pedes tuos, quibus antiqui serpentis caput calcasti.* Similia videantur in *Mariâli Bernardini de Busto*, approbato à *Sixto IV. part. XI. Serm. 2. & p. XII. Serm. 2.* Et apud ipsum *Bellarminum* l. 1. de septem verbis Christi in cruce c. XII. p. 102. Num excusabit sensum illum *Grotius*? Sed mulierem is fecit *Ecclesiam*, semen mulieris singulos, qui ad *Ecclesiam* pertinent. Atq; ita Christo duce caput serpentis conterere i. e. *Diabolo* facile resistere eumq; superare

per are Christianos ait, *Jac. IV. 7. 1. Pet. V. 9. 1. Job. II. 13. 14.* Verùm si per pronomen *IPSA* intelligitur *Ecclesia* allegoricè, quanam ergò mulier sensu *proprio* hîc intelligitur? Et annon ita hîc excluditur planè *Christus*, cui *præcipuè convenire sententiam istam*, utpote *cujus virtute cæteri omnes calcant Diabolum*, fatetur *Gordonus Huntlaus*, etsi *ad literam* intelligat per pronomen fœmininum *Ecclesiam*, & per consequens *Mariam*, ceu *membrum Ecclesie*; neq; arbitror diffitebitur quisquam. *Christo duce caput conteri serpentis* agnoscit *Grotius*. At stante illo ejus sensu non malo, nullus hîc *Christo* relinquatur locus, quum sensu *proprio* per pronomen *Eva*, allegorico *Ecclesia* intelligatur, ut per semen mulieris fideles. Nulla ergò de *Christo* facta hîc promissio, de quo tamen eadem explicata deinceps fuit penes Patriarchas ab ipso Deo *Gen. XXII. 18. c. XXVI. 4. c. XXIX. 14.* ceu de *semine mulieris benedicto*: nec non ab Apostolo *Gal. III. 18. Non dicit in seminibus, quasi in multis, sed semine, quasi in uno, qui est Christus.* Quod de Patriarchis factâ promissione observat Apostolus, sed pariter observari debere in *περωπεια γελίω* hoc suo exemplo docet. Unum enim idemq; semen est, quod conterit caput serpentis, & in quo uno tollitur maledictio, & benedictio obtingit omnibus nationibus terræ, uti interpretatur Apostolus. Neq; dubium est ipsismet Papistis, vocem *seminis* magis propriè de uno individuo, nempe *singulariter*, quàm collectivè accipi. *V. Gen. IV. 25. c. XV. 3. c. XXI. 13. Ruth. IV. 12 13. 2. Sam. VII. 22. 1. Par. XVII. 13.* hic autem ne aliter quidem accipi potest. Quia prædicatum *capitis serpentini contritio* destructionem potestatis & regni Diaboli, quod in violentia peccati & mortis consistit *1. Cor. XV. 16. Ebr. II. 14.* designat, quæ infinitæ virtutis est & uni *Christo* propria *1. Job. III. 8.* etsi *fructus* contritionis & destructionis istius fidelibus communicetur, qui per fidem in *Christum* conculcant *Draconem Psal. XCI 13. vincunt Diabolum 1. Job. II. 13. & per sanguinem Agni. Apoc. XII. 11.* Datur enim ipsis *victoria à Deo per Dominum Jesum Christum 1. Cor. XV. 57. Conf. Marc. XVI. 17. 18. Luc. X. 19. Rom. XVI. 20.* ideò verè quidem, at insufficienter nimium *Grotius*: *Capitis calcatio est contemptus nota Ezech. XXXIV. 18.*

L

Plura

Plura de his diximus *Crit: Sacrop. 669. seqq.* Addo hinc antiquis-
 mi Patrum *Irenaei* explicationem l. IV. c. LXXIIX. Quapropter
 & Deus eum quidem qui à semetipso *Zizaniam* absconsè seminavit,
 id est, transgressionem, quam ipse intulit, separavit à suà conversio-
 ne, Eum autem, qui negligenter quidem, sed malè accepit inobedien-
 tiam, hominem miseratus est, & retorsit inimicitiam, per quam ini-
 micum Deo facere voluit, in ipsum inimicitiarum autorem, auferens
 quidem suam, quæ erat adversus hominem inimicitiam, retorquens
 autem illam & mittens illam in serpentem; Quemadmodum & *Scriptura*
 ait, dixisse serpenti Dominum, & inimicitiam ponam inter te
 & mulierem, & inter semen tuum, & inter semen mulieris; Ipse
 tuum calcabit caput, & observabis calcaneum ejus: Et inimici-
 tiam hanc Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus
 homo, & calcans ejus caput. Et l. V. Omnia ergò recapitulans reca-
 pitulatus est & adversum inimicū nostrum, bellum provocans, & eli-
 dens eum, qui initio in Adam captivos duxerat nos, & calcans ejus
 caput, quemadmodum habet in *Genesi* dixisse Serpenti Deum; Et
 inimicitiam ponam inter te & inter mulierem & inter semen
 tuum & semen ejus, ipse tuum observabit caput & tu observabis
 ejus calcaneum. Ex eo enim, qui ex muliere virgine habebat na-
 sci secundum similitudinem Adam præconiabatur observans caput
 serpentis; i. e. semen de quo ait *Apostolus* in *Epist. ad Galatas*, Le-
 gem factorum positam, donec veniret semen, cui promissum
 est. Manifestius autem in eadem ostendit *Epistolâ*, dicens: Cum
 autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, fa-
 ctum de muliere. Neq; enim justè victus fuisset inimicus, nisi ex
 muliere homo esset, qui vicit eum. Per mulierem enim homini do-
 minatus est ab initio, semetipsum contrarium statuens homini. Pro-
 pter hoc & Dominus semetipsum filium hominis constitetur, princi-
 palem hominem illum, ex quo ea, quæ secundum mulierem est, plas-
 matio facta, in semetipso recapitulans, uti quemadmodum per ho-
 minem victum descendit in mortem genus nostrum, sic iterum per
 hominem victorem adscendamus in vitam. Et quemadmodum ac-
 cepit palmam mors per hominem adversus nos, sic iterum nos ad-
 versus mortem per hominem accipiamus palmam. Non autem
 Domi-

Dominus antiquam illam & primam adversus serpentem inimicitiam in semetipso recapitulatus fuisset, adimplens promissionem Demiurgi & perficiens præceptum ejus, si ab alio venisset Patre, sed quoniam unus & idem est, qui ab initio plasmavit nos, & in fine Filium suum misit, præceptum ejus perfecit Dominus, factus ex muliere & destruens adversarium nostrum, & perficiens hominem secundum imaginem & similitudinem nostram. Hæc omnia Ireneus, quæ præclare veteris Ecclesiæ fidem de Prot Evangelio, cum doctrinâ Ecclesiæ Orthodoxæ modernæ ex asse consonantem demonstrant, solideq; glossas Grotianas refellunt.

ET TU INSIDIABERIS CALCA- NEO EJUS.

Ita solent serpentes Gen. XII. 17. Nicander de Chelydro — Unde nomen salpugæ — Sic Diabolus postquam de imperiis & vi cogente decidit, ex insidiis maximè agit 2. Cor. II. 11. XI. 3. 14. Ephes. VI. 11.]

Geminum sensum pandit; *literalem de serpente naturali, Allegoricum de Diabolo.* Sed unicum tantum esse unius dicti sensum antea monuimus. Neq; hîc agi de serpente, sed tantum de Diabolo in hoc quidem versu: multò minus *primario de serpente.* Tum verò is cujus calcaneus conterendus, non est alius, quàm *ὁ ὀφιομάχος*, qui caput serpentis conteret. Quem unum Christum esse docuimus. Non ergò de insidiis Diaboli adversus fideles vel Ecclesiam directè agitur: sed adversus Christum, semen mulieris. Non de iis quæ agit, postquam de imperiis decidit: Sed quæ eo ipso, dum caput ei conteritur, machinatur. Quod nempe dum semen mulieris in eo est, ut caput conterat serpenti antiquo, quod in opere redemptionis imprimis factum ab antiquo serpente, in calcaneo plagam accepturum sit, in passione & morte, uti jam *Ireneus* explicavit. Quæ interpretatio tum *verbis ipsis*, tum *scopo & intentioni* hujus *επιτελευτήσεως*, tum *explicationi* in Scripturis traditæ ex asse consentanea. Verba non inferunt tantum *insidias salpugæ*: Sed *mortem*

An serpentis etiam naturalis, an verò solius Diaboli calcaneus conterendus innuatur?

Et contritionem calcanei. Unde Grotius ipse versionem vulgata-
 tam, sed tacite, ne aegre Papistis faciat, ex Ebraeo corrigit.
Illud insidiaberis, inquit, videtur esse ex lectione Græca
τηγήσῃς, pro quo alij eodices habent τειγήσῃς, id est, morde-
bis, quod propius accedit ad Hebræum תשובנו *Eu. Οατινώτι-*
ργῳ *tamen est verbum Hebræum: quia non tantum mortem, sed*
contritionem infert, quæ passioni graviori designandæ aptior
est. Ideò de contritione capitis serpentini verbum idem adhibe-
tur, quâ ægerrimè sit antiquo Draconi, ejusq; potestas prorsus conte-
ritur ac destruitur, ut Johannea habet explicatio 1. Epist. III. 8.
Sed hæc differentia hîc observanda: quod antiquo serpenti
quidem CAPUT conterendum fuerit, semini mulieris solum
CALCANEUS. Illius potestas & imperium destrui debuit, quod
nō quidem absq; hujus læsione ac passione fiet eaq; gravissimâ,
ut conteri planè videatur, sed quia caput salvum est, calcaneus
tantum conteretur, prævalebit in hâc pugnâ, è passione & mor-
te emerget & victoriam reportabit. פיש est contrivit, percus-
sit, conquassavit, contudit: uti de Jobo adhibetur c. VI. 17. in tur-
bine conteret me, Chaldæus exponit, comminuet, R. Levi contun-
det. Ideò R. Salomo reddidit hoc loco per comminuere & R. Aben
Ezra percutere; Targum Jonath. vulnerare, Hierosolymitanum
occidere in priore commate exposuit, quamvis in hoc posteriori
ממורדית interpretetur. Contritio utriq; tribuitur, dispari
quidem eventu, quâ ab altero caput, ab altero calcaneus tantum
conteritur, sed eodem conatu, quia utrobiqu; idem adhibetur ver-
bum. Scopus certè hujus concionis erat remedium adversus pec-
catum & Sathanam protoplastis sententiâ legis contritis propo-
nerè; quò fide apprehenso sese erigere possint, quod Judæi ipsi
antiquiores viderunt. Quodnam autem aliud remedium est,
quàm quod passio & mors Christi pro peccatis nostris suppedi-
tat? Præclarè hic B. Luther. Hanc primam consolationem & tan-
quam fontem omnis misericordie & omnium promissionum scatur-
riginem, primi Parentes & eorum posterì summâ diligentia didice-
runt. Viderunt enim, si absq; hâc promissione essent, mansuram
quidem

quidem inter homines, sicut inter reliqua animantia, generationem. Sed quæ nihil aliud sit, quàm generatio ad mortem. Illud igitur donum divinitus natura additum hîc augetur, imò consecratur, cum spes sit talis generationis, per quam Satana conterendum sit caput, ut non solum ejus tyrannis infringatur, sed etiam natura propter peccatum morti addicta, consequatur vitam æternam. Non enim agit hîc Moses amplius de serpente naturali, de Diabolo loquitur, cujus caput sunt mors & peccatum. Sicut Christus dicit Joh. 8. quod sit homicida & pater mendacii. Contritâ igitur potestate ejus, h. e. sublato per Christum peccato & morte, quid restat, quàm ut filii Dei salvemur? Ad hunc modum Adam & Heva hunc textum intellexerunt & consolati sunt se contra peccatum & desperationem, spe hujus contritionis per Christum futura, ac spe hujus promissionis in novissimo die etiam resurgent in æternam vitam. Et paulò pòst: Includitur igitur in hanc sententiam redemptio à lege, peccato & morte, & ostenditur manifesta spes & certa resurrectionis & innovationis in alterâ vitâ, post hanc vitam. Si enim serpentis caput conteri debet, profectò oportet aboleri Mortem. Si mors aboletur, etiam mortis meritum aboletur, h. e. peccatum. Si peccatum, ergò lex quoq; aboletur: Nec id tantum, sed restituitur simul obedientia, quæ amissa est. Hæc autem omnia, quia promittuntur per Semen hoc, satis clarum est, naturam humanam post lapsum suis viribus, nec peccatum tollere, nec pœnas peccati & mortem effugere, nec obedientiam amissam recuperare potuisse; Majorem enim vim & robur majus, quàm hominum est, requirunt ista. Itaq; Filium Dei oportuit victimam fieri, ut hæc nobis conficeret, ut tolleret peccatum, devoraret Mortem & amissam obedientiam restitueret. Hos thesauros in Christo possidemus, sed in spe. Sic Adam, sic Heva, sic omnes credentes usq; ad novissimum diem spe istâ vivunt & vincunt. Hactenus B. Lutherus. Quomodo autem hoc $\pi\epsilon\omega\tau\upsilon\alpha\gamma\epsilon\lambda\acute{\iota}\omega$ se erexerint Patriarchæ ante diluvianî, quomodo id explicatum uberius post diluvium fuerit per Spiritum Christi, Patriarchis & Prophetis, donec luce complementi longè clarissimâ irradiaretur, exposuere post Megalandum Lutherum passim nostrates; B. Polycarpus Lyserus in Patriarchis;

B. Cramerus in scriptis Prophetis: *Waltherus* in officinâ Bibl. *Glasius* in *Christologiâ Mosaicâ*. Tria saltem hic è scripturis notamus parallela loca: Unum è *Psalms*, unum è *Prophetis*, unum è *N. T.* E *Psalms* huc facit *CX. 8.* *Transfiget caput super terram multam.* Quò de *B. Gesnerus* pulchrè: *Imprimis David respexit ad promissionem primis parentibus in Paradiso factam, semen mulieris conteret caput serpentis.* Ideò etiam in singulari numero nominat unum caput multæ seu magnæ terræ, à quò cætera inflantur, quod est antiqui *Draconis*, quod dominatur in filiis incredulitatis & princeps est hujus mundi: Quæ adduntur, de torrente in viâ bibet, respondent in nostro oraculo postremis verbis: *Tu ipsi conteres calcaneum:* quia per bibitionem de torrente in viâ, passio & mors *Dominica* exprimitur, quæ hîc per vulnerationem & contritionem calcanei designatur. E *Prophetis* adducimus verba *Esai. XXVII. 1.* *In die illâ visitabit Dominus in gladio suo, duro & grandi & forti super Leviathan serpentem rectum & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari.* Respexit enim sine dubio *Propheta* ad oraculum nostrum, & pugnam in eo constitutam inter *Leviathan* serpentem antiquum verè tortuosum, & *Dominum*, qui eum gladio duro, grandi & forti imprimis tum visitavit, cum caput ei in passione contrivit. Ad quam pugnam hunc *serpenticidam* gratulabundus excitat *David Psal. XLV. 4.* *Accingere gladio tuo super semen tuum Heros, gloriâ tuâ & decore tuo.* Sed maximè illustris locus est *Ebr. II. 14.* *Quoniam pueri participes sunt carnis & sanguinis, ipse quoq; consimiliter particeps factus est.* Habemus subiectum semen mulieris nobis *ουοστοιον*: Ideò addit semen *Abrabæ* eum assumpsisse, ut nempe *Filius Dei* semen mulieris fieret per humana natura *ἑπιληψιν* & assumptionem. Quò sine autem illa facta? Ut per mortem aboleret eum, qui mortis imperium habet, hoc est, *Diabolum*. Quibus prædicatum explicatur: caput serpentis per *κεφαλος θανάτου*, serpens infernalis per *Eum*, qui imperium mortis vel potestatem habet, quam per lapsum vel peccatum hominum consequutus est; contritio capitis serpentini per destructionem vel abolitionem potestatis & imperii istius, & *Diaboli ipsius*, quâ potestatem illam habet.

Atq;

Atq; hinc *αὐτὸν* est illa inimicitia: quia sc. non Angelos, sed semen Abrahæ assumfit, ut liberaret non naturam Angelicam, sed humanam; potestatem autem angelorum malorum destrueret. Quâ autem id fieri ratione debuit? PER MORTEM, quæ est ipsa calcanei contritio in nostro oraculo.

Ita ergo, ut summam ejus paucis complectamur, *serpens antiquus Diabolorum princeps*, qui ad hunc seductionis Protoplastorum actum veluti destinatus à catervâ infernali prodierat *ὁ διάβολος*, qui cum suis Angelis *ἄγγελοι θανάτου* obtinebat & sub pedibus genus humanum habebat, *antagonistam* consequitur *miseram & debellatam mulierem*, (Viro, qui ab eadem seductus erat, atq; propagine à miseris hisce Diaboli mancipiis oriturâ non exclusis, sed comprehensis) denunciata ab ipso Deo per MANIFESTUM, uti hodiè loquuntur, hostilitate Diabolo, quam deinceps expectare habeat ab humano genere; quandoquidem *semen mulieris* ceu *generis humani hyperaspistes & Heros potentissimus*, Draconem cum universo semine suo, *catervâ infernali* sub pedes suos prostratum conculcaturum contriturum caput, robur & potestatem ejus destructurum sit, *& quidem tum, ubi maximè ipsum a Dracone infernali conteretur*, passionibus nempe gravissimis ac morte truculenta ita prostratum, ut actum de ipso videatur. Unum illud semen adversus totam catervam Diabolicam prævalebit, cujus calcaneo etsi plagam sub eo jacens Diabolus inferet non levem, per eandem tamen caput ipsi conteretur, omnisq; Diabolica potestas destruetur. Ipsi pedes in cruce clavis transfixi & sanguine madefacti, quæ calcanei erit contritio, gloriose triumphabunt de Dracone: quia per ipsam hanc contritionem calcanei caput conteretur eidem. Unde *similes aurichalco* videntur pedes, *ut in camino igniti Apoc. I. 15.* quia lumine gloriæ cœlestis condecorati & virtute conterendi hostes ac igne æterno excrucianti eosdem instructi. Vid. *Glassius disp. IV. Christol. Mosaicam th. XXXVI.*

IN DOLORE PARIES FILIOS.

Nam si legi divina obsecuta esset, arbor vitæ faciliores ei fecisset partus, quàm ulla aristolocchia]

*Summa
ProtEvan-
gelij.*

*Grotius
Socinizans.*

Non

Non tantum *facilitas major*, sed *absentia doloris omnis* in-
nuitur, dolorumq; partus causa lapsus & peccatum Evæ consti-
tuitur. *Mulierem, etiamsi non peccasset, cum dolore filios parituram,*
credendum omnino visum fuit Socino de statu primi homini c. X.
p. 278. Socinizat verò non obscure Grotius. Arbor vitæ non ad-
versus difficultatem partus antidotum, sed ad conservandam
vitam remedium erat.

Vers: 19.

IN PULVEREM REVERTERIS.

Cicero de Rep. l. III. neq; enim natura pateretur, ut id
quod esset de terrâ, nisi in terra maneret. Ergò Deus tunc
amota vi superna natura res suas agere permisit]

*Explicatio
Sociniana,
hominem
ante lapsum
natura
mortalem
faciens.*

Præclarus interpret Scripturæ Cicero! *Socinum* potius lau-
dare debebat. Cum eo enim *naturâ mortalem hominem* ante la-
psum facit: Aut *Scholasticos & Papistas*, à quibus habet, *vim su-*
pernam naturæ additam, quâ amotâ, naturâq; sibi relictâ, in statu,
ut illi ajunt, *purorû naturalium* moriendum deniq; homini fue-
rit. At hîc *pœnam* decernit Deus ob peccatum, non ergò *condi-*
tionem naturæ describit. *Quia comedisti ex arbore vetitâ, in sudo-*
re vultus tui vesceris pane 7D1U ad revertendum & usq; dum re-
vertaris in terram. Quicquid ergò vi *comminationis divinæ*
propter legis *transgressionem* in *pœnam & supplicium* adju-
dicatum fuit homini, ei ante & extra peccatum nullatenus ob-
noxius fuit per naturam. *Si Deus hominem à principio mortalem*
fecisset, nequaquam peccantem morte condemnasset: nam morta-
lem mortalitate nullus condemnat. Ita *Gregor. Nysenus* jam ante
exortum *Pelagium de Creat. homin. c. II.* Ideò *B. Augustinus*
l. XII. de Civit. Dei c. IV. constat, inquit, inter Christianos veraci-
ter Catholicam tenentes fidem, etiam ipsam nobis corporis mortem
non lege naturæ, quâ nullam mortem homini Deus fecit, sed meri-
to inflictam esse peccati, quoniam peccatum vindicans Deus dixit
hominibus, in quo tunc omnes eramus, terra es & in terram ibis. Non
ergò *Christianis Catholicam fidem veraciter tenentibus accensendus*
fuerit *Grotius, iudicio Augustini.*

Nec

Nec una hæc ipsius hypothesis Pelagiana in hac causâ. Plures alia in *Annotatis ad Cassandri art. II.* leguntur. Hominem, cum primum est conditus, promissa nulla habuisse vitæ cœlestis, sed terrestris. Itaq; & vires ei datas tali premio respondentes. Aliam imaginem Dei esse, ad quam Adamus est conditus, aliam, ad quam per Christum renascimur. Evæ & Adami peccatum documentum fuisse imbecillitatis humane, pollicitatione præmii cœlestis destituta. Ad vitam cœlestem nobis dandam sanctitatem animi requiri eximiam & quæ illum Adami, cum primum conditus est, statum longè excedat. Requiritur eam, quæ nos Angelis æquet, manente tamen eo discrimine, quod corpora humana ab angelicis distantia secum ferunt. Evæ & Adami peccatum labem quandam attulisse. & in hominibus, cum nascuntur, aliquid esse non idoneum ad vitam cœlestem adipiscendam. Ad eam adipiscendam renasci opus esse, i. e. per Dei præcepta & promissa cœlestia attolli supra vires humane nature: Ab omni quidem omninò peccato & semper abstinere supra humanam conditionem est, inde conatum homini esse peccare, inter Philosophos Sopater, Hierocles, Seneca, inter Judæos Philo, inter historicos Thucidides, inter Christianos plurimi prodiderunt. Dubitari autem potest, an hæc rectè & propriè peccata dicantur, cum libertatem, quam in specie habere videntur, in sua generalitate considerata non habeant. Revixit Pelagius non jam tantum in Socino, sed etiam in Grotio: cujus quondam illa fuere dogmata, si fortè paradoxon excipias de angelicis corporibus. Quæ è Grotii *Annotatis in Casandrum* verbis propriis transcripsimus. Additis tamen postremo è libro III. de jure pacis & belli c. XXI. Sect. 19. ad quem locum nos ibi remisit. Quò illis, quæ ex Philone, Sopatre, Hierocle, Celso, Pythagora, & Aristotele ad Luc. III. 22. adduxit collata, docerent, quid de יצר הרע cum Ebræis crediderit Grotius; non peccatum originale, cum Ecclesiâ Catholicâ, de quo nihil Philosophi noverere, sed τὸ πικρὸς ἀντιβᾶνον τῷ λόγῳ Aristotelis, quod pro peccato ipse non habet. Notum enim est, quod neget Aristoteles nos aut malos aut bonos esse τῆς οὐσίας Ethic. ad Nicom. l. II. c. 5. sed hæc semel monuisse sufficiat, ne Grotiani libri de jure pacis & belli, sanè perquam cruditi, incautos in φορητὰ ἀκρίσματα, quibus abundant, fortè abripiant.

Jam ut ad rem præsentem redeamus: Illa in pulverem conversio non è conditione nature vel materie humane hîc deducitur,

M

sed

Plures Soci-
niana hypo-
theses Gro-
tij de primo
homine

sed ob culpam homini judicialiter decernitur. Ideoq; illa, pulvis es, & in pulverem converteris, ita accipienda; uti è pulvere corruptibili formatus primùm, quamvis ad imaginem meam è π̄ ᾱ φ̄ σᾱ γ̄ ο̄ ῑ ᾱ in incorruptibilitate condiderim ac, legem meam si observasses, ad vitam eternam te perducere planè voluissem, ita nunc, quum legem transgressus sis, & de arbore comederis, cujus usui sub mortis pœnâ interdixeram, omninò in pulverem converteris, non morti tantum, sed & corruptioni obnoxius eris. Ita supra S. Augustinus cum Ecclesiâ Catholicâ: cujus hæc etiam sunt l. i. de peccat: merit. & remis: c. II. & III. Si non peccasset Adam, non erat exspoliandus corpore, sed seuperveſtiendus immortalitate & incorruptione, ut absorberetur mortale à vitâ, i. e. ab animali in spirituale transfiret. Adde Leonis Magni Romani Episcopi sententiam, Serm. IV. in natal. Domini; Quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem, si per observantiam legis datæ perseveranter excoleret (Adam) ipsam illam terreni corporis qualitatem ad cœlestem gloriam perduceret.

Pollicitatione præmii cœlestis non destitutos fuisse Protoplastos, si obedirent, è comminatione aternæ mortis, si non obedirent, manifestum est, nec non ex arbore vitæ, quæ Sacramentum aternæ vitæ fuit. Quam etiam ignorare non permittebat primigenia sapientia, in quâ conditis Neq; vires eis defuisse, eò adspirandi, justitia & sanctitas vera, quæ ad imaginem Dei in iis effulgentem pertinebat, convincit. Duæ enim imagines Dei absurdè finguntur: Ad eandem RENOVARI dicimur, ad quam in Protoplastis conditi eramus Col. III. 10. Ephes. IV. 24. Neq; alia fides fuit veteris Judicæ Ecclesiæ, ut iterum hoc observemus. Creavit Deus, dicitur Sap. I. 14. ut essent omnia, id est, omnes homines, ut interpretatur Grotius ex Eph. I. 10. Marc. XVI. 15. Et creavit ut essent i. e. ut aeternum vivant, ut iterum ad h. l. Grotius, qui hinc colligi vult διαπονήν τῶν ψυχῶν, quod Hebrais שׂוּבִילֵי אֲרָצוֹת, Sanabiles fecit nationes omnes terrarum, id est, Natura hominum Dei bonitate talis est, ut apta reddi possit ad salutem aternam. Et non est in illis medicamentum exterminij: id est, Nihil est tale in animi humani naturâ, cur necesariò interire debeat, sicut homo interit sumto veneno. Omnes hæc interpretationes Grotio debentur ad h. l. Quo modo

S. ip. I. 14.

modo ergò naturâ hominem mortalem conditum asserit? Cur ad vitam æternam initio creatum negat? Cur cum Socino primum æternæ vitæ præconium Novo Testamento adsignat? quod posterius hîc in præfat. in libr. Sapientiæ propriâ confessione, quod post Esdræ explicatius proponi ceperint iudicium universale, vita æterna, supplicia gehennæ, tollit: si explicatius tum proposita vita æterna, non ergò demum Novo Testam: ejus reservata propositio, vel prædicatio. Frustrâ autem est, cum creare Deum dici observat, quoties concipiuntur homines Job. X. 10. quia hîc de creatione primævâ sermo est, qualis hominum natura per eandem fuerit. Quod verba præcedentia confirmant; Quoniam Deus mortem non fecit. Hæc enim de primævâ creatione loqui fatetur Grotius. Quæ iterum ejus commento de Adamo mortali condito reclamant: Sic enim mortem fecisset Deus, & in naturâ hominis mors fuisset, ut necessariò tandem ei intereundum, si illa sibi relinqueretur, quia ideò mortalis dicitur. Mortem autem secundam hîc intelligi, exclusivo sensu, i. e. eam solum, falsum est; quia simpliciter negatur, Deum mortem fecisse. Quod animantia cetera à Deo morti addicta sunt, ἀπεσοδίουσων est, ubi de homine, non de aliis animantibus agitur: hominem verò ita creatum, ut mori posset, hoc est τὸ ἀεὶ ζῆναι; creatum dicimus ita, ut posset non mori: non autem creatum mortalem, qui naturâ sibi relicta, non tantum mori poterat, Grotianâ sententiâ, sed non poterat non mori. Longè alia mens auctori libri Sapientiæ est, & veteri Ecclesiæ Judaicæ. Sap. II. 23. Quoniam Deus creavit hominem inextermabilem, in Græco ἐπὶ ἀθάνατον. Quod frustrâ Grotium lib. II. Sap. II. 23. de jure pacis & belli corrumpere, quasi ita reddi debeat, in simplicitate, antea notavimus: nunc à seipso abire eum, in annotat. ad h. l. observare licet: dum exponit, in spem immortalitatis creavit. Rectius quidem, sed non plenè satis, quia non hic spes designatur, sed res ipsa, perinde, uti ad imaginem & similitudinem suam fecisse ipsum dicit, non certè ad spem solum imaginis & similitudinis suæ: neq; constanter satis: quia actutum illud creavit detorquet i. e. nasci quemq; fecit. Quum tamen palam sit, agi de homine primum creato, & ad imaginem Dei condito, non quomodo aut quâ spe quisque nascatur, quamvis falsum sit, quemq; in spem immortalitatis nasci: quia post lapsum nascimur omnes in peccato & τῆ φύσεσιν filii iræ

sumus, non beatæ spei *Eph. II. 5.* Sed clarissima lux est ἀντιθέσεως subjunctæ, quâ tenebræ Grotianæ glosfæ, unâ cum hypothesei ejus, quam nunc examinamus, penitus profligantur. *Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Quam proinde obfuscare non potuit Grotius: Ita enim exponit: *Invidia autem Diaboli, quem sub serpentis figurâ intelligi Moses voluit, mors intravit in orbem terrarum, mors prima per Adami culpam; mors autem secunda per singulorum impietatem, injustitiam & falsimonias.* Fatetur ergo mortem primam per Adami culpam introisse. Unde relinquitur, eidem ante & extra culpam locum non fuisse, eandem Deum non fecisse, neq; hominem mortalem condidisse. Malè autem separat à morte primâ secundam. Annon enim Adami culpâ mortem secundam meruit? annon ea lapsui hominis imputanda?

Vers. 22. AIT

Angelis vid. Gen. I. 26. Quasi unus ex nobis. Est enim scire multa, ut diximus, divinum & Angelicum.]

*Petulans
Textus de-
pravatio
Grotiana.
Socin. & Ju-
deis accom-
moda.*

Petulans depravatio. Ait *Angelis.* Ubi hoc habetur, quod Angelis locutus hæc sit Deus! si sic licet inferere textui, quicquid lubet, quid non è Scripturâ efformabitur? Voluit autem Socino suo ac *Judeis* gratificari; ne hic plures in Deitate personæ evincantur. Sed manifestum nimis, pluralitatem personarum divinarum designari. Ecquis enim loquitur? *Jehovah Elohim.* Habemus ergo quinam illi sint, qui de se πληθωτικῶς loquantur: Ecce Adam factus, quasi UNUS ex NOBIS. Non qui quâcunq; ratione Elohim dicantur, sed Elohim eminentissimo modo dicti, vel potius κυριολεκτικῶς proprio vocis usu, qui *Jehovah* sunt, unus ille Deus. Neq; è verbis consequentibus similiter colligi potest, hæc ad Angelos dicta, etiam si priora illa ad Angelos directâ admitterentur. Annon potuit Deus deinde demùm ad angelos se convertere? Neq; si hæc etiam ad illos dicta, sub voce NOBIS illi comprehenduntur. Quia illi demùm hæc voce comprehenduntur, qui hic loquuntur, non coram quibus hæc proferuntur. Invidtum ergo hoc est: Ille qui hic loquitur, ait sibi similem factum esse Adamum; Factus, inquit, quasi UNUS Ex NOBIS; non quasi UNUS Ex VOBIS. Ubi autem μερισμὸς est orationis tanquam inter alium atq; alium, ibi verè est pluralitas. Qui loquitur de uno ex Elohim, ille plures indicat Elohim. Non potest unus ex mul-
tis

tis dici, ubi unica tantum persona est. Deum autem angelos secum comprehendere, eosque sibi ita annumerare, perquam absurdum. Hic enim paritas & æqualitas designatur, cum unus ex Elohim commemoratur, ad cuius similitudinem adspiravit Adam. Similem sibi persona loquens factum innuit Adamum, se autem unum dicit è pluribus non inequalibus, sed qui ejusdem sint dignitatis. Incongruum certè & à Dei majestate alienum, quod Rivetus etiam fateretur; Exercit. XL in Genesin p. 201. Deum Angelis, qui ejus ministri sunt, & servi quasi sodalibus suis & æqualis conditionis, ejusdemque dignitatis & autoritatis talia dixisse. Neque verò scientiâ angelis tum demum similem factum dicere opus erat, qui conditus initio erat ad imaginem Dei, adeoque angelis quoad cognitionem boni & mali similis fuit. Profecto à serpente non similitudo cum angelis, sed cum Deo ipso promissa erat, longè scilicet major atque eminentior, quam est Angelica, quam etiam vanâ persuasionem inductus affectabat homo. Ideò Deus, ecce, inquit, Adam factus quasi unus non ex Angelis aut cœlitibus, sed quasi UNUS ex NOBIS; suum respiciens divinum collegium, ut ita loquar, in quod utique nullus angelorum aut archangelorum admittitur. Quum ne illud quidem ulli Angelorum dictum sit, sede à dextris meis, tantum abest, ut intra consortium Jehovæ Elohim τὸ ἑνὸν ψῆλον καὶ παναγίον rerum omnium creatoris admittatur ullus, quod tanè hæc oratio inferret, si ea Angelos simul complecteretur. Quæ adeò clara, ut hic versio Jonathanicam sequutus cum cœcis Judæis Grotius, corrigatur ab ipsa interpretatione Chaldaicâ Hierosolymitanâ, quæ longè rectiùs partitivam orationem ad ipsum Jehovam refert: Et dixit verbum Jehovæ, Ecce homo, quem creavi, unicus seu unigenitus est in mundo, sicut ego unigenitus sum in cœlis excelsis. Neque placere potuit id commentum Calvino, qui aliàs libenter judaizat: Quidam, inquit, pluralem numerum ad angelos referunt, ac si hominem Deus terrestre & despectum animal à cœlestibus creaturis discerneret. Sed videtur longè petita expositio. Rectè itaque August. l. II. de Gen ad literam c. XXX. Non aliter intelligendum est, quod ait, UNUM ex NOBIS, nisi ut propter Trinitatem numerus pluralis accipiatur, sicut dictum est, Faciamus hominem; sicut de se & Patre dicit, veniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus. Et longè antè Augustinum Justinus Martyr. Dial. cum Tryphon: pag. m. 222. ex illis verbis ἀναμφιλέκτως cognosci ait, ad aliquem, qui & numero ALIUS & λογικός sit, Deum illa loquutum esse: adeoque cum dixit, quasi unus ex nobis, tum numerum eorum, qui unà essent,

tum minimum duos indicasse; eaq; ipsa à Patre reverà editam progeniem, qua ante creaturas omnes cum Patre fuit, cum Patre colloquatam protulisse. Similia habet p. 281. additq;: Neq; ea verba figuratam loquutionem admittunt, quemadmodum ea exponere moliuntur Sophistæ, qui neq; dicere neq; mente concipere veritatem possunt. Locum insignem ex professo vindicamus invictâ assertionem pluralit: personar c. XII.

NUNC ERGO NE FORTE.

Aposiopesis properantis. Intelligitur, prospiciendum nobis erit, Generatione repertâ, si simul adfuisset contra mortem remedia nimis sibi placitulum, hæsurumq; rebus terrestribus fuerat humanum genus.]

Non opus habebat properare Deus. Nullâ nunc supererant contra mortem remedia, nisi quæ è penâ divinæ misericordiæ depromebantur. Generatio non post lapsum demùm reperta, sed in statu integritatis à Deo instituta erat. Neq; ne sibi deinceps placeat nimis humanum genus terrestribus rebus, sed in poenam peccati commissi paradiso eiicitur, ejusq; deliciis privatur. Mercerus observat, reticentiam eam usitatam esse in aliis etiam linguis, & causam reddit, cur abruperit orationem Dominus, ne sc. hominem satis mœstum & contristatum deiiceret. Non inusitata sunt ellipticæ orationes in acrioribus reprehensionibus.

Vers. Eodem.

CHERUBIM ET FLAMMEUM GLADIUM.

Mos Hebrais omnia Dei opera, quibus extra ordinem Deus utitur, angelos appellare, ut ventos & ignem Psal. CIV. 4. Sic quod in Psal. XIIX. 11. Deus in sidere Cherubim dicitur, Psal. CIV. de ventis exponit. Est ergo & hic èv ἄγ. δῖω Cherub & flammeus gladius, qui Cherub i. e. flammeus gladius. Sensus ergo est, igne impervto obseptum Paradisum.]

Quis hunc sensum è verbis illis elicuisset, præter Grotium, qui ex omnibus facere potest omnia. Inde deniq; extruit è Cherubim aliquid bituminis genus ignis rapidissimum, Naphtha dictum in campo Babylonio, ut in illis locis paradisum figat, & bitumen, ignis divinitus immissi, ut apud Sodomam, reliquias. Habemus ergo Cherubim Grotii: ignem immisum ejusq; reliquias, naphtham. Tantus ignis artifex aut conditor bituminis ante ipsum,

ipsi, quod sciamus, nemo fuit, qui hinc naphtham in campo Babylonio procreare potuerit. Mirum, quod non in favorem Papistarum purgatorium ignem inde extruxerit cum nonnullis: Sed vidit fortassis, ignem illum à Papicolis poni, non ut excludat homines paradiso, sed ut juvet ac promovéat ad tempus excludos. *Morem autem Ebraeorum* primum ex ingenio suo fingit: è Codice Biblico, de cujus phraseologia hîc agitur, non probat. *Psal. CIV. 4.* de angelorum creatione agitur, non autem *ventis nomen angelorum* tribuitur. Interpretatio S. S. Ebr. I. 7. certior sine dubio est glossâ Grotii, in quâ sibi ipse non constat. Annotatis enim ad hunc Psalmi locum, non angelorum nomine insignitos ventos censet, sed *angelos aëreæ naturæ quosdam* comminiscitur, uti alios igneæ, *Judeorum fabellas & Pythagoræ ac Platonis* sequutus commenta. Ad hæc enim ibi provocat, ut angelis materiam & corpora vindicet. Nec *Cherubim*, quorum mentio *Psal. XIIIX. II.* explicantur *Psal. CIV. de ventis.* Quæ loca si conferantur, id potius docent, per *Cherubim Angelos*, qui ventis ob *celeritatem & agilitatem* comparantur, designari, uti etiam vox כרוך quibusdam à כרוך volavit, vel equitavit deducta *faciem humanam alata* significare creditur. Optimè *B. Gesnerus* noster: *Respicit David hæc picturâ, quâ inducit Deum insidentem Cherubinis, ad propitiatorium seu arcam fœderis.* Nam in monte Sinai Deus ipse ita sese Mosi manifestavit, jussitq; ad formæ in monte ostensæ irâginem tabernaculum & propitiatorium efformari. *Ex. 25. similis revelatio divine Majestatis* describitur *Es. 6.* Quam ob causam Deo passim in Scripturis, ut *Psal. XXI. 2. Psal. XXIX. 1.* hoc Epitheton tribuitur, quod super *Cherubim* sedeat. Angelorû enim exercitus est ille igneus currus כרוך, quo *Elias* in cælum vehitur. *2. Reg. 2. & cujus præsidio Elisa à Syrorum obsidione Dothan liberatur c. 5.* Angelis autem id nominis datum est partim ob celeritatem, unde *Chaldeus Paraphrastes* hîc (*Psal. XIIIX. II.*) addit Epitheton, & vocat *Cherubim levisimos*; partim quod tali formâ sese hominibus manifestarunt & in propitiatorio posteaq; *Salomonis* in templo, ipsius Dei jussu, ita depicti & formati sunt. *Josepho* autore *Antiquit: I. III. c. 6.* *Cherubim* erant *animantia volucra, novâ specie, nec unquam hominum cuiquam visa, quæ Moses in Dei Solio viderat figuratâ;* Unde *Cherubinis* insidere dictus Deus, cujus præsentia arca erat *Symbolum I. Sam. IV. 4. 2. Sam. VI. 2. 2. Reg. XIX. 19. 1. Chr XIII. 1. Esai. XXXVII. 16.* eoq; alludi *2. Sam. XXII. II. Psal. XIX. II.* post alios observavit *Petrus Ravanellus Uticensis Orcitanus in Biblioth. in voce Cherub.* Accommodat itaq; se *Moses* hîc captuâ

captui Judæorum, cui nōri erant Cherubim, in tabernaculo, quo nomine etiam Angeli inde ab hoc mandato divino de imponendis Cherubim operculo arcæ fœderis, ut indicaretur eos & Dei ministros, & Ecclesie custodes esse, in Scripturis nuncupati sunt.

De vocis origine videantur B. Gerhardus in h. l. & Rivetus. Exercit. XLI. Quid si vocis significatio, quia radix in Ebræo non usitata est amplius ex Arabismo linguâ vicinâ petatur, cui כְּרִיב est presit, anxit, afflixit; verè enim anxere & afflixere homines Cherubim ante hortum Eden positi, quos R. Salomo interpretatur Angelos exterminatores vel vapulationis; quemadmodum etiam ad cognatam Chaldaicam & Syriacam linguam hic se recipiunt Aben-Ezra, Kimchi, Fagius & Drusius, in quo vox כְּרִיב puerum à כָּרַב crescere, notat, quod in formâ blandi adolescentis apparuerint quandoq; & imagines istæ puerorum vel adolescentum speciem exhibuerint; quam ineptam conjecturam dicit Lud. de Dieu animadv. ad h. l. neq; quadrare Grammaticæ analogiæ, pariter confugiens ad vicinam Arabicam linguam, in quâ, Schindlero teste, כְּרִיב sit cymba, navis vectoria ac כְּרִיב idem esse, quod transpositis literis כְּרִיב vehiculum currus, asferens, quia angeli dicuntur vehiculum Dei Psal. LXIX. 18. Zach. VI. 1. & c. Angelos certe hîc collocatos fuisse, agnoscunt pleriq; omnes doctiores interpretes, si fortè Musculum excipias, qui è Psal. LXX. 11. volucres grandes & terribiles, parili cum Grotio felicitate exsculpsit, quos tamen à flammis igneis distingvit, ut non uno loco positæ, sed diversis locis omnem paradisi aditum prohibuerint, & Theodoretum ac Procopium Gazæum, qui speciem quandam velut animalium formidolosorum præ foribus Paradisi locatam statuunt, cum כְּרִיב הַחַרְב, quibus verbis, quum vox כְּרִיב partim flammam, partim laminam politam instar flammæ fulgentem notet, alii flammam habentem formam gladii, alii cum Aben Ezra gladium igne candentem, fulgurantem & flammam quasi vomentem rectius intelligunt, quia gladius vertens se undiquaq; seu versatilis dicitur, quo armati Cherubim homines terruerunt, quemadmodum gladio stricto visus est Angelus Bileamo Num. XXII. 22. 23. & Josue c. VI. 1. Absterrebat, inquit B. Lutherus, accessuros splendor quidam quasi gladii evaginati, qui apparebat in manu angelorum & continuo motu agitabatur, atq; oculos ceu fulgur cum horrore perstringebat. Per כְּרִיב verò διαμεινωδὸν divisionem præter Grotium fortè nemo intellexit: neq; vox illæ Ebræa unquam divisionem significat, etsi machera Græca vox, quæ Matth. X. 34. adhibetur & διαμεινωδὸς per metonymiam, quia per gladium fit divisio apud Lucam c. XII. 51. commutari videatur.

05 A 1152


ULB Halle 3
003 766 365



110 173







I. N. J. 4
COLLEGII BIBLICI
ANTI-GROTIANI PRIMI

SUPER
ANNOTATA IN PENTATEUCHUM, ET LI-
BROS HISTORICOS V. T. GROTIANORUM, MAXIME
IN LOCIS FIDEI, ET VATICINIIS PRÆ-

CIPUIS,
ELENCTICA
DISSERTATIO TERTIA
PUBLICA

AD
GENESEOS III. CAPUT.

in Electorali VVittebergenſi
proposita

ab
ABRAHAM CALOVIO, D.

P. P. Paſtore, Conſiſt. Adſeſ. & Elect. Saxon.
Superintend. Generali,

RESPONDENTE
M. JOHANNE SIMONIS, Dresd.

Schol. Witteb. ConR.
in Auditorio Majori,
ad d. 9. Septembr.

Literis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr.
cl. LVIII.